

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0949

0947

0953

0943

0958

0938

0998

0898


1048

0848

0448

Ende

Anfang



376

naves expectare. Aliqui (18 a) intendebant transire in Cairum et de Cairo per oram maris rubri ascendere per Madian ad montem Synai et eo visitato reverti in Aegyptum et ad mare. Aliqui volebant manere in Gaza usque ad convalescentiam et tunc per viam suam proficisci. Reliqui vero in proposito primo manebant, ut statim in crastinum proficiscentur, non obstante, quod essent debiles. Inter haec magna facta fuit divisio inter peregrinos et discissio societatum, et quilibet adhaesit illi, qui conceptum sibi etiam placentem excogitaverat, ut seorsum practicabant, illi duo hoc, alii duo illud, caeteri aliud, et dissoluta fuit omnis harmonia unionis nostrae. Cum ista ergo amara inquietudine transivit illa dies infelix, nec hoc die vidimus nostrum Trutschelmannum, et hoc nobis augmentavit suspiciones de eo conceptas.

Nova peregrinorum conjuratio post praecedentem
concommotionem et pacificationem.

Octava die illuxit jocunda et felix lux, de qua dicitur 2. Maccab. 1.: Sol, qui prius erat in nubilo, oriri visus est. Beata quippe Virgo Maria sua gloriosissima nativitate omnem caliginem, omnem turbationem, omnem denique infirmitatem ab omnibus effugavit. Nec dico ista parabolice, sed vere ita evenit. Nam surgente aurora diximus nos sacerdotes matutinas et primas et altare nostrum praeparavimus ad Missarum solemniam celebranda et omnes tres successive Missae Officium legimus de festivitate instante et orationes pro convalescentia infirmorum nostrorum et pro felice itineratione accepimus et his Missis omnes peregrini astiterunt, etiam illi, qui heri et nudius tertius videbantur morti propinqui, cum ingenti devotione et gratiarum actione, relictis lectulis, flexis genibus affuerunt usque ad finem. Finitis autem Missis pro prandio instruximus et more solito coximus et manducavimus, nec fuit amplius memoria praeteritae divisionis, sed de novo conjuravimus omnes simul per desertum in Arabiam ad montem Synai pergere et simul vivere et mori, nec infirmum quemcumque vellemus post nos relinquere, sed in camelorum sportis omnes in asinis sedere non potentes nobiscum ducere. In illo